

descendereque liberè possint, prout ab aère humentiore aut exsiccatiore nunc extenduntur, nunc contrahuntur. FG denique orbiculus est orichalceus in 60. gradûs æquales divisus ac indiculo suo instructus, quem latens sub orbiculo fabrica, qualem supra num. II. delineavimus, ultrò citroque commovet. Usus autem hujus compositæ machinulæ non potest esse obscurus ei, qui Thermoscopiorum, Baroscopiorum & Hygroskopiorum usum & rationes percepit. Uno nimirum intuitu hîc omnes aëris mutationes (unde *Aërometrum* generaliore nomine nobis dicitur) non in dies solùm sed in horas etiam, non observare tantùm sed etiam dimetiri licet. Spiritus enim intra tubulum AB ascendens caloris in aère incrementum, descendens ejusdem decrementsa per gradûs à latere decenter notatos indicat: Mercurius in tubulo CD elatior majorem in aère gravitatem, depressior minorem, simili modo prodit: indiculus denique ab F dextrorsum versus G conversus, siccitatis augescentis, sinistrorsum reductus decrescens, aut humoris augescentis, gradum accuratè designat; prout equidem hac ipsâ æstate extra ordinem ac præter naturam siccâ dictum indiculum ab F ad G dextrorsum delatum, indeque porrò versus F ad eum usque situm, quem figura nostra exhibet promotum vidimus, integro ferè absoluto circuitu, tametsi unius folius rotulæ dentatæ subsidio.

\*\*\*\*\*

## TENTAMEN XIV.

*Diversarum Observationum & fabricarum curiosarum miscellanea complexum.*

I.

**I**Nter experimenta magnetica plurima, inermium armatorumque magnetum ope capta, quæ hîc enarrare ideò nolimus, quòd passim ab aliis quoque comperta & descripta repe-